

tur ad entitativum, et potentia operandi ad potentiam essendi, quod est pertinere formaliter, et proxime ad id quod est virtus, et potentia operandi ut quo, radicaliter vero ad id quod se habet ut quod, et in ratione existendi fundamentum, et substantia est.

XXXVII. Ad secundum exemplum respondetur ex dictis, negando consequentiam: nam licet potentia passiva, in quantum talis, imperfectior videatur quam activa, si eodem modo comparentur ad actum, tamen passiva potentia, quæ se habet in ordine ad esse tali modo, id est, primo, et per se sine dependentia ab alio priori sustentante, sed per modum subsistentis, et existentis per se, perfectius quid est, quam potentia activa immediate, et proxime operans, et specificabilis ab operatione. Et quia pertinet ad substantiam immediate et per se comparari, et specificari ab ipso esse, vel ab actu essendi, non autem specificari per ordinem ad aliquid extra se, quia est ens in se, et per se, ideo potentia passiva sic ordinata ad esse, immediate, et proxime convenit substantiæ, non autem proxime ordinari, et specificari ab operatione, quia hoc est specificari ab alio extra se, id est, ab accidente, quod est extra genus substantiæ. Ipsa ergo substantia non specificatur ab alio extra se, seu extrasuam quidditatem, sed substantia completa sumit essentialem rationem substantiæ per ordinem ad esse, cujus est capax, et immediate recipit illud; materia per ordinem ad formam, quæ est principium dandi esse formale. Et sic est immediate potentia passiva, quia ordinatur ad habendum esse in se, quod immediate recipitur in substantia, et ente. Ponere autem quod substantia specificetur ab ipso esse, seu essentialem rationem dicat ad esse per modum potentiæ ad exis-

tendum per se: dicat autem ordinem ad operari sine aliqua specificatione ab ipso, sed tamquam ad aliquid mediatum, et secundarium, est dicere quod actus operandi etiam in creaturis in quibus est distinctus ab esse, non sit sufficiens specificare potentiam, quæ ad illum comparatur, et cujus est proprius, et per se actus, quod est negare potentias specificari ab actibus, cum tamen videamus, ex diversitate operationum distingui principia operativa, et posse separari unum ab alio, sicut principium audiendi a principio videndi, quia non solum actus videndi, sed potentia ad videndum deest cæco, et non deest illi substantia, ut latius persecuti sumus in libris de anima, quæst. II, artic. II.

XXXVIII. Ad tertium exemplum dicimus, quod Deo convenit per se ipsum operari tali operatione, quæ non distinguitur ab ejus esse, neque ab illa tamquam ab aliquo distincto potentia specificari potest: accidenti autem convenit operari immediate operationem distinctam a se tamquam principio immediate specificabili, et dependenti a tali operatione, ut distincta a se, quod maxime distat a Deo: substantia autem creata non potest pervenire ad hoc ut habeat operationem indistinctam a se, sicut Deus, nec tantam imperfectionem habet quod, stante operatione distincta, specificetur ab illa, et essentialiter ordinetur ad illam, quia hoc est extra lineam substantiæ, quæ solum est ad se, et per se existens, non ab alio, et ad aliud specificabilis. Unde debet esse media inter Deum, et accidens, ut operetur per aliquid distinctum a se.

XXXIX. Ad ultimum argumentum, ex instantiis Scoti diximus citatis locis in physicorum quæstione XII, et in libris de anima, qu. II. Substantia enim dicitur productiva alterius mediante operatione acci-

dentali a se distincta, licet effectus productus sit substantia. Sicut autem non repugnat quod mediante actione accidentali producat substantia, ita non repugnat quod mediante potentia accidentali producat, quia tam potentia, quam operatio operantur in virtute substantiæ, quæ virtus non est aliquid superadditum ipsi potentiæ, sed ipsamet potentia ut radicata in substantia ab eaque dependens, et dimanans: sic enim dicitur substantia agere per illam, tamquam per aliquid sui: similiter propriæ passionnes dicuntur emanare a substantia, non per propriam et veram actionem procedentem ab ipsa essentia, sed procedentem ab ipso agente, quæ primo, et per se terminatur ad essentiam, et ratione connexionis quam habet cum passionibus, transit ipsa actio ab essentia ad passionnes, et transitus ille ut fundatus in ipsa connexionem essentiæ dicitur emanatio ab essentia ut diximus citatis locis, præsertim in quæstione secunda de anima. Item ipsa substantia non habet influxum in suam potentiam, et virtutem distinctam ab influxu, quo ipsamet virtus influit in effectum, sed unicus, et idem influxus pro indiviso exit a substantia ut a principio quod, radicaliter solum operativo, et a principio quo, ut operativo proximo, non quia prius exeat influxus a substantia, et recipiatur in potentia, et ab illa exeat in effectum: talis enim modus influendi proprius est unius causæ superioris in aliam inferiorem tamquam in causam, et virtutem distinctam, non autem principii radicaliter operativi in suamet virtutem, quia sic necesse esset virtutem qua aliquid operatur, recipere aliquid actualitatis a suo principio radicali quod est impossibile, cum principium radicale non operetur indistincte a principio quo operan-

di, sicut nec substantia existit independenter a principio quo essendi, quod est forma: sed solum ille influxus, qui pro indiviso procedit a principio radicali, et proximo dicitur procedere secundum diversos respectus, et dependentias a principio quo, et quod in emanando. De quo late tractavimus q. XII physicorum, art. III.

XL. Ad id vero quod ultimo loco ponitur de substantia Angeli, quæ se habet ut species intelligibilis respectu sui, et influit in cognitionem qua Angelus se cognoscit, dicemus articulo sequenti. Ille enim influxus speciei est in genere repræsentativo, et per modum objecti quod non influit in actum, nisi influxu participato a potentia, et mediante ipsam tamquam proximo influente, quando species est substantia, et non accidens superveniens potentiæ. Dato enim quod species influat in genere causæ effectivæ in actum (quod non est omnino certum) non tamen est necesse quod species semper influat effective ut principium proximum effectivum, sed si sit accidens, poterit proxime influere superaddendo potentiæ determinationem influxivam: si vero sit substantia, influet, et determinabit radicaliter, mediante tamen potentia ut proximo influxivo, quatenus illa potentia emanat a substantia, non solum tamquam a principio radicali intelligendi, sed etiam ut ab objecto intelligibili, a quo emanat objective, et non solum subjective. De quo plura dicemus articulo sequenti.

ARTICULUS II.

Utrum Angelus indigeat specie intelligibili superaddita ad intelligendum se?

Supponit hæc difficultas duo, quæ nos in libris de anima, quæstione VI,

art. II et præcedenti tomo, disp. XIII, art. I et sequentibus late tractavimus.

I. Alterum est in omni potentia cognoscitiva, præter ipsam potentiam, quæ est principium vitale indifferens ad hanc vel illam cognitionem, ad hoc vel illud objectum (si quidem plura potest cognoscere) et præter virtutem determinantem illam potentiam quasi effective, seu in genere elicentis, requiri aliud determinativum per modum repræsentantis, seu gerentis vicem objecti, et hoc vocatur species, id est, forma repræsentans, et objectum ipsum sistens, atque uniens potentiæ. Quod licet prædictis locis ostensum sit, tamen quantum attinet ad præsens, commodius attingetur sequenti articulo, agendo de speciebus requisitis ad cognoscenda alia objecta, ibique difficultates aliquorum auctorum expediemus.

II. Secundum quod supponimus est, quod ad rationem speciei intentionalis valde materialiter se habet quod ejus entitas sit qualitas, vel substantia: munus enim speciei in quo formaliter consistit in quacumque entitate ex istis exerceri potest: formale enim munus speciei intelligibilis non consistit in eo quod actuet intellectum inhærendo, vel entitative informando, sicut alia accidentia, quæ realiter informant subjectum sistendo in ipsa entitative informatione, vel compositione alicujus tertii, sed in hoc quod est reddere intellectum conjunctum objecto, seu determinatum ab illo, nec tamen cum entitate objecti componentem aliquam naturam, sed intellectus ipse fit ipsummet objectum, non ex objecto, et intellectu constituitur aliquod tertium, vel aliqua natura, quia hæc informatio, et actuatio objecti non ordinatur ad componendam aliquam naturam, sed ad apprehendendum,

et trahendum ad se id quod est ad extra: hæc enim est vis, et propria ratio entis cognoscitivi, quod res ad extra manentes, etiam ut alteras, et entitative diversas, et immutatas potest sibi unire, et conjungere, et talis conjunctio objecti, quæ entitatem objecti non immutat, nec tertiam entitatem, seu naturam constituit cum intellectu cui conjungitur, sed solum remanet intellectus repræsentative, et intentionaliter ipsummet objectum, quia ipsum in se intime apprehendit, et attingit, eique assimilatur, hoc est munus speciei formaliter loquendo, id est, objectum potentiæ unire, non entitative, nec entitatem aliquam, seu naturam componendo cum illa, sed repræsentative, seu intelligibiliter, ita quod totum quod est in se res aliqua entitative, totum hoc sit ipse intellectus, et sit in intellectu intelligibiliter, et in esse objectivo, seu intentionali, et repræsentativo. Quod totum non explicatur melius, quam per hoc quod fiat alterum a se, non entitative, nec per commutationem, et conversionem in illud, sed per quamdam tractionem ad se, quæ dicitur repræsentatio, et intelligibilis transformatio, ut latius explicavimus tomo præcedenti, disp. XVI, art. I.

III. Ad hoc autem per accidens se habet, quod ista entitas per quam hoc munus repræsentationis, et unionis intelligibilis exercetur in intellectu, sit in se qualitas, vel substantia, quia cum conjunctio non ordinetur ad constituendam aliquam naturam, vel compositum entitativum, sed ut transformetur objectum intelligibiliter in intellectu, sicut in se est entitative, ideo non conducit ad hoc formaliter quod sit ista species in sua entitate substantia, vel accidens, sed solum quod intelligibiliter sit ipsummet objectum, quia ratio substantiæ, vel

accidentis sumitur per ordinem ad esse, et ad id quod entitativum est, intelligibilitas autem est aliquid consecutum ad ipsum ens; et ideo illud munus quod præstat ab ipsa specie in linea, et ordine intelligibili, solum præsuppositive dicit ens, seu id quod entitativum est, formaliter autem id quod intelligibilitatis, quod est consecutum ad ens: solum ergo materialiter, et præsuppositive se habet ad munus, et officium speciei hoc quod est esse substantiam vel qualitatem, solumque requiritur, et reperitur in specie, in quantum necessarium est ut munus illud realiter exercetur: quia enim realiter repræsentatur, et hoc esse non potest nisi in aliqua entitate, et omnis entitas, substantia, vel accidens est; ideo præsuppositive, et materialiter species aliquid istorum esse debet: formaliter autem, quia non exercetur nisi per intelligibilitatem, et sub linea, et ordine intelligibili, quæ intelligibilitas, et ordo est aliquid consecutum ad ens; ideo formaliter non exercetur per substantiam, vel qualitatem, sed solum materialiter præsupponitur quod substantia vel qualitas sit ut intelligibiliter repræsentet in re. Quare cum totus ordo, et linea intelligibilis fundetur in spiritualitate, et immaterialitate, et per hoc species ipsa munus cognoscibilitatis exerceat, quia immaterialis, et spiritualizata redditur; ideo si substantia aliqua per seipsam immaterialis, et spiritualis est, habet sufficientem conditionem ut munus speciei per se exercere possit, uniendo intelligibiliter, et non solum entitative seipsam potentiæ.

VARIE SENTENTIÆ.

IV. His suppositis circa difficultatem præsentem in qua inquirimus

an substantia Angeli respectu cognitionis sui, habeat rationem speciei, ommissa opinione eorum qui negant universabiliter requiri speciem ad cognitionem cujuscumque rei, et consequenter id negant pro cognitione substantiæ Angeli, quos supra retulimus: inter eos qui communem sententiam sequuntur de speciebus, quod requirantur ad cognitionem, triplex principalis est sententia.

Prima affirmat substantiam Angeli deservire loco speciei ad cognitionem sui. Est sententia D. Thomæ qu. LVI sequenti, articulo primo et quæst. VIII de veritate, art. VI et II contra gentil. cap. XXVIII. Quem sequuntur communiter ejus discipuli super istum locum, et Capreolus in II, distin. III, quæst. II, art. I; Ferrariensis loco citato contra gentiles; Suarez lib. II de Angelis, cap. IV; Arrubal hic disp. CLXVI, c. I; Carmelitani Salmanticenses disp. VI de Angelis, dub. I. Scotus etiam in II, distin. III, quæst. X et ejus schola, tenet quod Angelus ad cognitionem sui intuitivam non indiget specie superaddita, quia sibi sufficienter existit præsens. Sed tamen admittit posse Angelum seipsum cognoscere abstractivè, et respectu hujus cognitionis dicit requirere speciem superadditam per quam abstrahat a præsentia.

V. Alia sententia in alio extremo docet Angelum ad seipsum cognoscendum indigere specie superaddita, sicut ad cognoscenda alia objecta. Quæ opinio tribuitur Alensi, Marsilio, et Henrico, de quibus videri potest Suarez citatus, num. II et III.

Tertia sententia est non ipsam substantiam Angeli, sed ejus intellectum gerere munus speciei ad cognoscendum ipsam substantiam. Quæ sententia solet tribui Cajetano, quæst. LIV, art. III ad IV, sed immeri-

to, ut postea videbimus. Sed tamen eam tenet Vasquez disputat. cciv, cap. II, et probabiliter docet idem posse dici respectu cujuscumque objecti extrinseci, eo quod putat non posse efficaciter probari, quod datur species in intellectu Angeli; eumque sequitur p. Alarcon tract. vi de Angelis, disput. III, cap. I, num. X, cum hac tamen limitatione, quod vis repræsentativa repræsentandi quodlibet objectum, sit in ipsa substantia, et intellectu Angeli simul, cum subordinatione ad Deum auctorem naturæ excitantem in quolibet primo negotio, et cum subordinatione etiam ad ipsam voluntatem Angeli. Quod tamen dicit non intelligi de formis supernaturalibus, quia ad has intuitive cognoscendas dicit requiri supernaturalem speciem. Iste tamen auctor procedit ex principiis longe diversis, et a natura, et ratione propria speciei aberrantibus, ut notavimus præcedenti tomo, disp. XIII, art. I, quia non ponit speciem propter aliquid suppleendum ex parte objecti, seu ad unionem intelligibilem illius faciendam cum intellectu, sed solum ad determinandam indifferentiam potentiæ, sicut fit per lumen vel habitum; et ideo lumen gloriæ solent vocare speciem isti auctores, contra quos ibi egimus.

RESOLUTIO.

VI. Sit ergo nostra conclusio : Substantia Angeli habet rationem formæ seu speciei intelligibilis, quia intellectus redditur intelligibiliter perfectus, et actuatus ab ipsa substantia, non solum ut subjecto radicali sui, sed ut objecto intelligibili, et determinante intellectum ad intelligendum se. Et per eandem substantiam tamquam per speciem cognoscit Angelus accidentia sua

naturalia, sibi que debita; supernaturalia autem non nisi per species superadditas.

VII. Prima pars hujus conclusionis, quæ principalis est, sumitur ex D. Thomæ citatis locis, ubi eam expresse affirmat.

Et unica ratio, et fundamentum est, quia in substantia Angeli inveniuntur ea quæ requiruntur ad munus speciei intelligibilis respectu cognitionis sui : ergo seipsum per suammet substantiam cognoscit tamquam per speciem. Consequentia est manifesta, quia si species ad hoc ponitur, ut loco objecti subrogetur reddendo illud intelligibile in actu, et repræsentatum, seu præsens intellectui : ergo si ipsa substantia, et entitas objecti totum hoc facere potest sine specie, seu qualitate, aut vi superaddita, frustra talem speciem adhibemus, ejusque repræsentationem subrogamus loco objecti, cum id faciat per seipsum : hoc enim quod est subrogari pro altero solum fit casu, quo illud pro quo subrogatur per seipsum non potest, aut non æque bene potest id facere, sicut substitutum, seu vicarium suum. Aut si ponitur species superaddita, cum objectum id possit facere per seipsum, non est ex necessitate talis speciei, sed sine ipsa fieri posset tota illa actuatio, et informatio objecti per ipsam substantiam immediate. Quod si fieri potest, eadem difficultas est : nam hoc possibili posito, difficultates quæ modo militant, et movent oppositos auctores, etiam in illo casu movebunt si quidem hoc ipso quod potest se habere, ut species, quid prohibet quod de facto sic fiat, et tunc difficultates veniunt solvendæ.

Antecedens autem probatur, quia inter condiciones requisitas ad speciem intelligibilem aliquæ sunt quæ manifeste conveniunt substantiæ Angeli in ordine ad suum intellec-

tum, aliæ de quibus difficultas est. Conveniunt quidem substantiæ Angeli tres, scilicet esse intelligibilem in actu per se, non per aliquid superadditum, quia est per se immaterialis et spiritualis, species autem intelligibilis non aliter reddit objectum intelligibile in actu, quam per hoc quod est depurata a materiali modo, et conditione, in repræsentando, et consequenter in essendo, quia tota essentia speciei repræsentatio est; et sic spiritualizatur.

Secunda conditio sequitur ex hoc, scilicet quod sit talis spiritualis substantia proportionata suo intellectui, quia est proprium specificativum illius, et ita spiritualis in actu, sicut ipsemet intellectus, quia ab illa emanat : ergo est illi omnino proportionata.

Tertia conditio, quod sit illi intime præsens et unita, etiam manifeste constat, cum ipsa substantia fit immediata radix a qua emanat intellectus, et ipse intellectus illi inhæreat, et consequenter non minus intime sibi sunt præsentia, et unita quam species superaddita intellectui, imo magis, quia licet species superveniens intellectui, inhæreat illi, tamen non emanat ab intellectu ut a radice, sicut propriæ passionis ab essentia; et ita non habent supervenientes tantam connectionem cum intellectu, et consequenter nec tam intimam unionem et præsentiam, sicut intellectus cum substantia sua spirituali, a qua emanat. Unde pro hac parte non deest unio, et præsentia sufficiens inter substantiam, et intellectum, ut species ejus esse possit. Istæ tres conditiones sunt bene notæ.

VIII. Cæterum ex alia parte restant aliæ tres conditiones requisitæ ad hoc ut aliquid habeat munus speciei intelligibilis, de quibus difficultas est quomodo ipsi substantiæ Angeli conveniant.

Prima est, quia licet substantia Angeli sit præsens, et unita ipsa intellectui Angeli subjective, non tamen objective, id est, habet se ut subjectum inhæSIONIS ipsius intellectus; et sic recipit illum in se, eique manet unita, quia sustentat illum, non tamen ex vi hujus unionis præsentatur, et unitur illi objective, id est, tamquam objectum determinans, sed ut subjectum sustentans: sicut etiam anima nostra in statu quo est in corpore habet intellectum sibi intime unitum ut subjecto a quo emanat, et cui inhæret, non tamen est illi præsens ut objectum, quia pro isto statu non cognoscitur immediate in se, sed ex sensibilibus.

Secunda conditio in qua est difficultas, est quia substantia Angeli non potest actuare reali, et vera informatione, licet intentionali ipsum intellectum : cum enim intellectus sit potentia accidentalis, non apparet in quo genere causæ possit ipsam actuare, quia non potest substantia in genere causa formalis actuare intellectum, cum substantia non sit forma habilis ad actuandum, et informandum accidens : nec enim potentia passiva accidentis potest suscipere formam substantialem, nec in genere causæ efficientis, quia substantia non influit effective in intellectum, ut sit ejus species intentionalis, cum esse speciem non sit effectivus influxus in intellectum : nec in genere causæ materialis, quia hoc pertinet ad rationem subjecti sustentantis intellectum, non objecti determinantis specificationem ejus. Non ergo apparet in quo genere causæ substantia Angeli actuet, et informet intellectum.

Tertia conditio est, quia substantia Angeli non potest immediate, et proxime esse influxiva in actum intellectionis sui : species autem in-